Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35473
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

Voluntatem timentium se faciet et deprecationem eorum exaudiet. et saluos faciet eos. Custodit dominus omnes diligentes se: et omnes peccatores disperdet. Laudationem domini loquetur os meum: et benedicat omnis caro nomini sancto eius in sempiternum et in seculum seculi. Gloria p. Ant. In eternum et in seculum seculi. Psalm.

Laudate anima mea dominum laudabo dominum in vita mea: psallam deo meo quamdiu fuero. Nolite confidere in principibus: in filiis hominum in quibus non est salus. Exibit spiritus eius et revertetur in terram suam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Beatus cuius deus iacob adiutor eius spes eius in domino deo ipsius: qui fecit celum et terram mare et omnia que in eis sunt. Qui custodit veritatem in seculum facit iudicium iniuriam patientibus: dat escam esurientibus. Dominus soluit compeditos: dominus illuminat ceecos. Dominus erigit elisos: dominus diligit iustos. Dominus custodit aduenas pupillum et viduam suscipiet. et vias peccatorum disperdet. Regnabit dominus in sempiternum deus tuus sion in generationem et generationem. Gloria. Ant.